

§. II. Genuines atqve sinceros horum verborum Interpretes nos esse, ipsa eorum praxis ostendit, quæ si ullibi, certe in Articulo de Persona Christi se prodit. Negant illi Communicationem Idiomatum, à S. Scriptura & tota Orthodexa antiquitate tam clare, tam constanter assertam, sed quare? quia nempe proprium non potest communicari. Sane Keckermanus expresse: *Proprium si communicetur, tollitur discrimen inter commune & proprium &c.* Ast jam dudum demonstrarunt nostrates (1.) non rationibus Philosophicis in hoc mysterio, sed fide agendum esse. Vid. inter alios B. Hutterus *Loc. Theol. III. §. 12. seqq.* Ubi tamen ejusdem culpæ nos fortasse reos quis pronuntiabit, cum supra axioma ejusdem fere valoris usurpaverimus: Quod nempe Christus ideo DEUS sit, quia ipsi competunt opera soli DEO propria; quod ipsum in hanc rationem resolvatur, quod proprium non possit communicari. Huic objectioni ut obviam eamus, discrimen horum argumentorum inter se distinctius, breviter tamen notabimus. Nos pro confirmatione sententiæ nostræ, contra Adversarios rationi facultatem judicatricem permittentes in Theologia, postquam argumentis ex S. Scriptura mere petitis egimus, argumentum proferimus, cujus major propositio ex ratione quidem petita est, sed ab ipsa Sacra Scriptura in valore suo relinquitur. Præfens vero Calvinianorum argumentum, ad confutandam sententiam nostram, qui rationis usum dijudicativum in Articulis fidei non agnoscimus, solitarium ex rationis axioma petitum est, quod à S. Literis in valore suo relinqui, nullo modo probari potest. (2.) Ne quidem Philosophice loquendo verum esse, quod proprium nullo prorsus modo communicari possit, B. Calov. inter alios *Met. div. part. gen. p. 616.* ostendit. Nostra vero Major, stante subfuntione, prout jacet in argumento, addita hac explicativa limitatione proferri potest: Cuicunque competunt opera soli DEO competentia, non solum propria, ille verus DEUS est. Si vero Philosophice illa Major Adversariorum in dubium vocari potest, multo magis (3.) nobis persuadere possumus, supernaturaliter in Christo fieri posse priorum utriusque naturæ intimam inter se communicationem, quam *ἡ ἐκχώρησις* vocare Theologi solent.

§. 12.